Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

imago donec ipsa res uideri possit. Enigma est scriptura sacra. Quare? Quia obscura est significatione. Speculum est cor tuum, si tamen mundum fuerit et tersum et clarificatum. Imago in speculo fides in corde tuo. Ipsa enim fides imago est et sacramentum. Contemplatio autem futura res et uirtus sacramenti. Qui fidem non habent nichil uident. Qui fidem habent iam aliquid uidere incipiunt, sed imaginem solam. Si enim fideles nichil uiderent, ex fide illuminatio non esset, nec dicerentur illuminati fideles. Si autem ipsam rem uiderent, et non amplius uidendum aliquid expectarent, non per speculum in enigmate, sed faciem ad faciem uiderent. Ergo qui per fidem uident, imaginem uident; qui contemplationem uident, rem uident. Qui fidem habent sacramentum habent; qui contemplationem habent rem habent. Fides ergo sacramentum est future contemplationis, et ipsa contemplatio res et uirtus sacramenti. Et accipimus nunc interim sacramentum sanctificandi, ut perfecte sanctificati ipsam rem capere possimus. Si igitur summum bonum hominis contemplatio creatoris sui merito creditur, non inconuenienter fides per quam absentem quodammodo uidere incipit, initium boni et principium restaurationis eius memoratur. Quę uidelicet restauratio secundum incrementa fidei crescit, dum hoc per cognitionem amplius illuminatur, ut plenius agnoscat, et inflammatur per dilectionem, ut ardentius diligat. Sic igitur homo quamdiu in hoc corpore existens peregrinatur a domino, uiuere habet ex fide, quemadmodum cum eductus de hoc ergastulo fuerit et introductus in gaudium domini sui, uiuere habebit ex contemplatione. Sed mira dei dispensatione agitur, quia nec interim malicia hostis antiqui ad inpugnandos et persequendos fideles relaxatur, quatenus uidelicet hoc homini reputetur in premio, si nunc per fidem ambulans uiam ueritatis et inpugnatus non deserat, quod per uisionem presentis dei roboratus sola persuasione prostratus erat. Ut autem in hoc certamine inuictus stare possit, et bonum suum illesum custodire, dantur ei ut iam dictum in sacramentis arma quibus se muniat, in operibus bonis tela quibus hostem prosternat, ut scilicet fidei caritate et spe adiuncta in tertia parte roboretur et uiuat.

Capitulum xi. partis.

De sacramentis naturalis legis.

Post fidem de sacramentis fidei tractare debemus. Sacramenta ab initio ad restaurationem et curationem hominis instituta sunt. Alia sub naturali lege, alia sub scripta lege, alia sub gratia. Et in his semper que tempore posteriora fuerunt, effectu gratie spiritualis digniora inueniuntur. Omnia enim illa superioris temporis sacramenta, siue sub naturali lege siue sub scripta, signa quedam fuerunt et figure eorum que nunc sub gratia exhibita sunt sacramentorum; et ideo effectum spiritualem quem suo tempore operabantur posita pro istis, illa uirtute et sanctificationem operabantur, que super ista ab istis. Si quis ergo sacramenta priora effectum sanctificationis habuisse negauerit, non recte mihi sentire uidetur. Subsequentium sacramentorum. II

De prima differentia precedentium et

In his tamen dignitatem sequentium indubitanter preferimus, quia illa et uisibilia et signa uisibilium fuerunt. Ista uero cum sint ipsa quidem uisibilia, tamen inuisibilis gratie signa et sacramenta existunt. Ideo sacramenta gratie primum per benedictionem uirtutem in se sanctificationis susceperunt, ac deinde quasi continent in se sanctificationem conferunt, ut sint ex sanctificatione sanctificantia, atque hec ex sua sequi celebratione sanctificationem constrant, quia illa per hec ex sola horum significatione conferre consueuerant. Passio namque saluatoris que in primo loco sacramenta gratie salutis sanctificat, mediantibus istis et illa prioris temporis sacramenta sanctificabat, ut eadem esset salus et his qui recta fide signa futurorum in illis uenerati sunt, et his qui effectum salutis in istis percipiunt. III

Illud quoque

Alia differentia

Inter ipsa primi temporis sacramenta que sub naturali lege erant, et ea que sub lege scripta, ut sub gratia instituta sunt sacramenta, inter esse perspicimus, quod illa uoluntatis magis esse uidentur, ista necessitatis. Illa ex uoto celebrata sunt, ista ex precepto. Neque enim estimandum est illa prima naturalis legis sacramenta, siue decimas uidelicet, siue sacrificia siue oblationes, ita homini indicta ex necessitate.